

censeatur actio nostra : e contra quia Deus voluntariam tolerantiam pœnarum vitæ alterius non computat in partem satisfactionis, totum quod miseri illi iusti etiam libentes sustinent, æstimatur duntaxat ut passio, neque computatur in partem pœnæ satisfactoriæ ad tollendum reatum. Quapropter Christus Joan. 9. v. 4. *Venit nox, inquit, quando nemo potest operari.* Ubi per noctem alterius vitæ statum innuit : nam etiam se ipsum inter eos, qui nocte ingruente nihil operari possunt, comprehendit.

Prob. 2^a. pars ex TRIDENTINO, quod satisfactionem omnem nostram fieri dicit per Christi gratiam, in qua vivimus.

227. *Dico III.* Ad satisfactionem condignam non sufficit actionem esse liberam, honestam et supernaturalem, sed insuper requiritur, ut sit laboriosa.

Prob. Satisfacere est cum consensu offensi iudicis prævenire pœnam ab hoc infligendam, et eam ita evadere, quia æquum non est, ut idem bis puniatur; ergo satisfactio est actio iustitiæ vindicativæ: atqui omnis vindicta exigit pœnam; ergo satisfactio omnis consistit in actione pœnali et ærumnosa.

228. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Malæ actiones, secluso decreto et comminatione Dei, merentur pœnam, quia ponunt inæqualitatem cum jure divino: atqui actiones satisfactoriæ hanc inæqualitatem tollunt pretio suo intrinseco ante omnem Dei acceptationem extrinsecam: talis enim promissio non auget valorem operis intrinsecum, ergo non egent acceptatione Dei, sed Deus debet acquiescere, perinde ac creditor repræsentata pecunia debita.

R. D. M. Mala opera secluso Dei decreto merentur pœnam in actu primo *C.* in actu secundo *N.* Ubi lex non est, nec est legis transgressio seu peccatum, aut inæqualitas cum divino jure. *D. etiam min.* Actiones satisfactoriæ hanc inæqualitatem tollunt in actu primo *C.* in actu secundo *N.* Ante divinam promissionem sunt idoneæ ad satisfaciendum, si Deus nolit ipse pœnas sumere, et actiones bonas aliis nominibus exigere. Unde apparet ratio disparitatis evidens: nam solius iudicis est pœnas decernere aut mutare; mereri autem pœnas est peccatoris solius. Neque ad rem est exemplum creditoris humani et debitoris: nam hi ambo jura et bona propria ac diversa habere possunt; cum e contra substantiæ creatæ, quidquid sunt, Dei sint.

229. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Satisfacere est æquale reddere: atqui peccator pœnam sibi debitam sustinendo, æquale reddit; ergo non opus est ad condignam satisfactionem statu viatoris et gratiæ.

R. D. M. Satisfacere est æquale reddere consentiente et probante supremo Iudice *C.* hoc non consentiente *N.* Sine gratia Christi in hac vita nulla satisfactio esse potest. Quod autem in altera sustinent damnati, inviti patiuntur; ergo nequit esse satisfactio; cum ne bonam quidem voluntatem, qua iusti in purgatorio supplicia admittunt, Deus pro satisfactione acceptet.

230. *Obj. III. cont. 3^{am}. concl.* Si satisfactio debet fieri per opus pœnale;

ergo actus caritatis, licet perfectissimæ virtutis, esset minus ad satisfaciendum idoneus, quam actus abstinentiæ.

R. D. seq. Si actus caritatis sit valde languidus, et actus abstinentiæ sit admodum intensus et ærumnosus *C.* secus *N.* Omnes actus honesti sunt habiles ad satisfaciendum: nam quia adversantur bono alicui sensibili, nobis sunt difficiles et ærumnosi. Quod si hominibus virtute perfectis faciliores videantur, ob habitum vehementer intensum, non minus sunt ideo satisfactorii, cum actio ex virtute absoluta profecta præstantior omnino sit. Cæterum in hoc differt satisfactio a merito, quod hoc non augeatur intensive ab opere externo adjuncto et continuato; nam meriti pretium maxime petitur ab honestate actionis internæ: cum e contra opus inde dicatur satisfactorium, quod pœnale sit et ærumnosum; ergo cum opus externum secundum se pœnam et ærumnam augeat, addit vim satisfaciendi actui interno, a quo fuit imperatum, etsi hic physice amplius non perseveret. Ex hucusque disputatis

231. *Coll. 1^o.* Satisfieri etiam per opera alias præcepta, licet non peragantur a nobis animo satisfaciendi, sed tantum studio placendi Deo. Nam Tridentinum Concilium Sess. 6. cap. 10. docet, nos non tantum per actiones bonas ultro admissas, sed etiam per præceptas mereri augmentum gratiæ et gloriæ. Ratio autem tota, cur per bonas actiones satisfaciamus, est, quia sunt pœnales, fiuntque per Christi gratiam, in qua vivimus, et Deo placemus.

2^o. Hactenus actum esse de satisfactione, quæ ex opere operantis exhibetur: ad quam tamen observa, neminem per se teneri. Neque enim iustitia vindicativa exigit, ut quis de se ipso supplicium sumat; sufficit ergo illi satisfieri in purgatorio. Neque etiam lex caritatis quemquam graviter adstringit ad avertendum a se malum, nisi irreparabile, et quo inimici Dei constituimur: neque jubet procurare accelerationem beatitudinis, ad cuius perfectionem procurandam neminem sub gravi culpa obligat. Et quis peccati lethalis damnabit eum, qui veniale peccatum adhuc in mortis articulo admitteret, aut de venialibus omnibus non contereretur tunc, quando scit, se amplius satisfacere non posse.

ARTICULUS IV.

DE SATISFACTIONE INJUNGENDA IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

232. *Dico.* Sacerdos, spectata gravitate peccatorum et facultate pœnitentium, tenetur pœnam peccatis proportionatam illis injungere.

Prob. I. Ex usu perpetuo Ecclesiæ, quæ pœnitentes nunquam sine conveniente satisfactione imposita absolvit.

Prob. II. Concilium Laodicænum seculo IV. celebratum canone 2., Concil. Carthaginense III. sub finem ejusdem seculi IV. can. 31., Turonense III. anno 813. can. 22., Chabillonense II. eodem anno can. 38., Moguntinum I. sub Rhabano anno 847. can. 31., Wormaliense anno 868. can. 23., et Tridentinum Sess. 14. cap. 8. præcipiunt, debere sacerdotes, quantum spiri-

tus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salubres et convenientes satisfactiones injungere.

Prob. III. a priori, ex institutione divina, Matth. 16.: *Quæcumque ligaveritis*, et cap. 18.: *Quæcumque alligaveritis*: quibus verbis Christus sacerdotibus non tantum potestatem dedit retinendi peccata impœnitentium, sed etiam pœnitentes ad certa satisfactionis et pœnitentiæ opera alligandi: ut, quemadmodum peccata remittunt quoad culpam et pœnam æternam, dum absolvunt, ita etiam retineant peccata quoad pœnam temporalem, dum imponunt mulctam pœnitenti. Ita argumentatur Tridentinum nuper citatum, et Patres antiqui, quos inter LEO M. epist. 91. (al. 108. c. 2.): *Mediator Dei*, inquit, *et hominum hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confidentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Prob. IV. Rationibus compluribus eorumdem Patrum, quas Concilium Trid. breviter stringit. Par omnino erat, a Deo mandari ministris, ut neminem a baptismo lapsum, sine satisfactione reconciliarent: siquidem in lumine fidei et agnitione Dei jam versantes peccarunt, postquam diabolo et pompis ejus renuntiarunt, per gratiam Spiritus sancti habitacula et filii Dei effecti, totque beneficia adepti, Deum offenderunt: quæ quidem omnia de nondum baptizatis dici non possunt. Deinde ita extollenda est divina misericordia, ut et justitiæ, quoad fieri potest, ratio habeatur. Præterea baptismus est regeneratio, quæ citra magnum laborem nascituri accidunt: e contra pœnitentia est medicina, quæ per ægroti ustiones, incisiones, sudores, aliasque sanandi molestas exercitationes peragitur. Porro expedit plane, non adeo impunem pœnitentem discedere, ne facilitate veniæ ad iterum peccandum provocetur, sed pœnis coercitus et gravitatem criminum agnoscat, et horum odio virtutisque amore sensim probe vivere discat, extirpet habitus vitiorum, virtutes acquirat; dumque Christi degustat crucem, cum ipso pro peccatis suis compatiatur, ut cum eodem in coelis regnet. Denique dum unusquisque sua peccata castigat ipse, avertitur a populo christiano ira Dei, corriguntur alii, sarciantur scandala, et tota exhilaratur Ecclesia.

233. *Obj.* Dici nequit, omnes fere sacerdotes damnatum iri, cum hodieum soleant pœnitentibus pro multis et gravioribus criminibus aliquot preca-tiunculas, aut unum et alterum jejunium injungere, licet Concilium Tridentinum nuper citatum dicat, eos alienorum criminum participes effici, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum peccatoribus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo; ergo non videtur debere injungi satisfactionem proportionatam peccatis.

R. D. Cons. Non videtur debere injungi satisfactionem proportionatam peccatis solis *C.* proportionatam etiam facultati pœnitentium *N.* *Debent*, inquit Concilium, *sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salubres et convenientes satisfactiones injungere*: fructus enim pœnitentium potissime spectandus est. Quapropter pœnitentes moribundi sine satisfactione injuncta absolvi sunt, ut constat ex Conciliis et Patribus relatis supra cap. 4. a. 2. concl. 2. et 3. Quoad cæteros moderanda est satisfactio pro ratione infirmitatis corporalis aut spiritualis ipsorum, si nimirum ex pœnitentia duriore

prævideantur fore pusillanimes, alieni a sacramento Pœnitentiæ, aut si ratione morbi, aliisque impedimenti impotentes fiant ad illam peragendam. Nam si moderata ipsis satisfactio dictetur, communiter et per se loquendo, periculum tantum est, ne gravius tantum in purgatorio luant; si vero decernatur pœna austerior, quam pœnitentis infirmitati expediat, verendum est, ne is se alio quodam gravi peccato obstringat, negligendo satisfactionem, reticendo peccata graviora, molliores et imperitos confessarios de industria adeundo. Denique mitiorem satisfactionem imperans non facit sacramento injuriam, ad cujus integritatem satisfactio omnimodis exacta non requiritur, neque etiam satis certo constat, quænam illa sit: neque Deo injuriosum est, cujus integrum servatur jus pœnam debitam olim in purgatorio exposcendi. Quam in rem in Supplemento S. Thomæ q. 18. a. 4. in 0. ita habetur: *Pœnæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatæ: sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quæ ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur: ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, et a pœnitentia totaliter recedat.*

Inst. Canones Apostolorum et Conciliorum priscorum certas, easque graves pœnas peccato cuilibet decernebant; ergo Ecclesia hodie in gravem morum corruptelam defecit, quæ canonum illorum executionem non urget.

R. D. Ant. Canones decernebant graves pœnas pro foro Ecclesiæ externo, et quidem ad Episcopi arbitrium injungendas et temperandas *C.* decernebant eas pro foro interno, *subd.* tanquam præcepta divina aut ecclesiastica *N.* tanquam regulas, quæ presbyteri instruerentur, et quibus prudenter uterentur *C.* Nullam certam pœnam divinitus esse præscriptam, neque etiam lege humana, quæ pœnitentibus dictetur, sed discreti confessarii arbitrio rem committi, constat tum ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 8., tum ex Innocentio III. c. *Deus qui*, de Pœnit. et Remiss., item ex c. *Mensuram*, de Pœnit. dist. 4. Hinc *N. Cons.* Nam sacerdotem leviori pœnitentia per accidens sæpe contentum esse posse, constat ex usu veteris Ecclesiæ, quando pœnitens insolita signa vehementis doloris edit, aut satisfactiones plures jam ipse præmisit: quando adhibentur indulgentiæ, sacrificia et suffragia; his enim et pluribus aliis de causis publicæ etiam pœnitentiæ modus olim statuebatur. Ex hisce breviter explicatis

234. *Coll. 1.* Actiones mere internas, ceu meditationes, actus fidei, contritionis et similes posse, ac interdum expedire in satisfactionem injungi. Sunt enim optimi, et maxime liberi, difficiles ac ærumnosi: atque in q. 86. a. 4. S. Thomæ concorditer tradunt Theologi, remissionem temporalis reatus peccati majorem esse ac minorem pro modo contritionis. Oratio item ab omnibus inter opera maxime ad satisfaciendum accommodata numeratur, non quidem propter solam vocem, sed potissimum ob mentis attentionem, in qua maxima ejus perfectio et difficultas consistit.

2. Quantumvis Sotus et alii probabilius arbitrentur, actiones aliunde jam præceptas in criminum pœnam imperari posse; raro tamen id expedit: nam pœnitentia injungenda non solum est ad novæ vitæ cautelam, sed ad

præteritorum etiam vindictam et castigationem erratorum, ut Patres Tridentini mōnent. Quod dici vix potest de actionibus alioqui præscriptis, quæ exsequi Christianos oportet, etiamsi nihil peccassent. Igitur culpa non vacat sacerdos, qui tantum decerneret in pœnitentiam pro peccatis gravibus actiones alia lege ecclesiastica jam ordinatas.

3º. Si sacerdos opus ab alio exsequendum in satisfactionem decernit, hoc opus, prout per alium absolvitur, non est pars sacramenti, sed sola illa actio laboriosa ac difficilis, qua pœnitens opus illud ab alio exsequendum procurat.

4º. Pœnitens, cui satisfactio modica pro gravi crimine injungitur, mōnendus est, hoc fieri, ut ipsius imbecillitati consulatur; eique sunt explicandæ pœnæ, quas juxta canones antiquos subire deberet, et quas gravissimas Deus adhuc ab ipso in hac vel altera vita in flammis piacularibus repetiturus est, ni ipse ultro manum ejus præveniat.

5º. Qui moderatas etiam pœnas, medicinales præsertim detrectant, absolventi non sunt.

6º. Pœnitentiæ publicæ nondum sunt penitus abrogatæ, sed instaurari eas posse asseverat Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 8. Quanquam nisi ob crimina publica, et inconsulto Episcopo imperari eas non oporteat.

ARTICULUS V.

DE SATISFACTIONE A CONFITENTIBUS PRÆSTANDA.

235. *Dico I.* Pœnitentes tenentur injunctam sibi a sacerdote satisfactionem accurate absolvere tempore et modo præscripto, nisi fuerit legitime dilata, mutata aut sublata.

Prob. 1ª. pars. Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8. : *Claves*, inquit, *sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt, et docent.* Unde sacerdotibus ipsis incumbit gravis obligatio dictandi confitentibus satisfactionem: atqui potestas ista et officium frustra forent, si ex arbitrio pœnitentium penderet parere, et non parere; ergo.

Pars 2ª. non eget probatione. Nam si satisfactio differatur a sacerdote, pœnitens eo tantum tempore ad illam præstandam tenetur, in quod jure conjicitur: si vero ex negligentia culpabili fuit procrastinata, solvi debet, quamprimum poterit. Quod si fuerit sublata, ad nihil tenebitur: si immutata, ad illam solum, quæ fuit in locum prioris substituta. Nunquam autem licet pœnitenti satisfactionem imperatam mutare secundum substantiam; cum reus in judicis sententiam nihil possit. At confessarius, qui illam dictavit, hoc sine dubio potest, utpote cui nec facultas, nec notitia deficit: quæ quidem commutatio ad sacramentum idem, quo primo injuncta, pertinet. Potestatem eandem habet unusquisque sacerdos, jurisdictione in pœnitentem præditus, modo hunc eadem peccata iterum confitentem audiat, et eisdem absolvat; nam commutatio pœnæ actus judicii est, quod sine cognitione causæ et sacramenti administratione exerceri nequit: sacramentum vero administrare, est confesso absolutionem impartiri.

Præterea tolli aliqua pœnitentiæ pars potest, si fuerit imprudenter imposita: imo ipse pœnitens posset aliquam satisfactionis portionem per accidens tollere, subtrahendo materiam, quando moraliter certus est, se indulgentias lucrari; modo non fuerit satisfactio medicinalis; nam talem nec indulgentia tollere, nec ipse sacerdos, nisi in similem, sine peccato convertere potest.

Denique in præfatis casibus expedit, semper aliquid de prima satisfactione relinquere, ut prioris sacramenti integritati consulatur.

236. *Obj. I.* Sacerdos potest satisfactionem pœnitenti committere tantum per modum consilii; ergo pœnitenti tunc liberum erit, eam implere, et non implere.

R. N. Ant. Secundum doctrinam Concilii Tridentini facultas dictandi satisfactionem oritur ex potestate ligandi: atqui potestas ligandi non exercetur suggerendo consilium, sed adstringendo et præcipiendo, sicut et justitia vindicativa; ergo cum sacerdos, per se loquendo, teneatur imponere satisfactionem, injungenda est præcipiendo. Neque probatur excusatio Suaresii et Dianæ dicentium, ligari pœnitentem conditionate, si velit consequi fructum ex opere operato sacramenti; quis enim putet reum carcere constringi, cui judex dixerit, si vis in carcere manere, tractabo te laute; si vero discedere mavis, per me licet, abi. Hinc pinguem illorum errorem aversare, qui putant, omnia futura opera pœnitentis in partem sacramenti extolli per verba, quæ post absolutionem sacerdos quandoque profert: *Passio Domini nostri Jesu Christi*, etc.; hæc enim phrasis mere est præcatoria.

Inst. 1. Potest pœnitens vel omnem satisfactionem, vel potissimam ejus partem differre in vitam alteram, peracta modica illius parte, ut consulatur sacramenti integritati; ergo.

R. N. Ant. quod verum esse diximus de satisfactione extra sacramentum ex opere operantis exhibenda. Secus res habet in sacramento Pœnitentiæ, ubi obligatio explendi satisfactionem nascitur ex potestate ligandi, quæ prorsus quoad hanc partem enervaretur, si pœnitenti liberum foret non obtemperare. Tametsi peccatum grave non committeret, qui etiam de industria negligeret exsequi satisfactionem levem, sicut nec sacerdos, qui hanc non imperaret: neque enim satisfactio pars est talis, sine qua sacramentum informe esset: et Bonifacius VIII. reprehendit confessarios, qui anno Jubilæi pœnitentias alias imponebant, ut refert Glossa in Extravag. *Antiquorum*, de Pœnit. et Remiss. Imo nihil sacerdos delinqueret, sine injuncta pœnitentia absolvendo confitentem, quem certo scit jam satisfacisse.

Inst. 2. Absurdum est dicere, eum, qui injunctam levem ob peccata gravia pœnitentiam omitteret, peccare tantum venialiter; eum vero, qui gravem pro venialibus indictam satisfactionem non præstaret, mortale peccatummittere.

R. N. Assumpt. Levitas et gravitas hujus obligationis ex ipsa satisfactionis materia proficiscitur, non vero a causa, propter quam satisfactio imperatur; nisi forte cum quibusdam teneas, posse rem gravem sub levi obligatione imperari, et vicissim rem levem sub obligatione gravi. Quod si quandoque subditi magistratus civilis leges sine peccato non acceptent, non

continuo sequitur, pœnitentes non teneri obtemperare judici sacro, rationabilem pœnitentiam injungenti; nam magistratus civilis potestatem suam a subditis accipit.

Inst. 3. Nemo tenetur uti privilegio: atqui posse pro magna pœnarum purgatorii satisfactione substituere modicam satisfactionem, est privilegium; ergo.

R. D. min. Posse pro pœnis purgatorii substituere modicam satisfactionem, est privilegium merum *N.* est privilegium adjunctum præcepto *C.* Adhæret imperium judicis vindicantis delicta, et ferentis sententiam absolutoriam quidem, sed simul obligatoriam, et quidem in reum, qui se huic judicio sponte subiecit, ubi sacerdos potestatem absolvendi non debet usurpare sine potestate ligandi.

237. *Obj. II.* Potest aliquis ipse votum editum abs se mutare in melius; ergo etiam satisfactionem sibi injunctam.

R. N. Cons. Determinatio voti pendet a propria cujusque voluntate: e contra satisfactionis modus statuitur a sacerdote tanquam superiore et judice. Quanquam ne hic quidem pœnitentiam, peracta omnino tota actione sacramenti confessionis et absolutionis, in graviores mutare possit; quia sententia lata semel transit in rem judicatam, et habet quamdam rationem contractus, qui nolente parte altera mutari postea nequit.

238. *Obj. III.* Solus superior potest alterius judicis sententiam mutare; ergo confessarius æqualis potestatis, mutando satisfactionem ab alio injunctam, huic injurius est.

R. D. Ant. Solus superior potest alterius judicis sententiam mutare in causis civilibus *C.* in sacramento Pœnitentiæ, in quo liberum est reo sæpius iterare iudicium *N.* Quoad sacrum hoc forum singula, quæ in iudicio posteriore peraguntur, habent se tanquam ex accidente ad confessionem priorem.

Inst. Si sacerdos potest commutare pœnitentiam ab alio æqualis potestatis sacerdote dictatam, poterit sacerdos inferior etiam mutare pœnitentiam a superiore ob casum reservatum injunctam; nam pœnitens eandem confessionem potest apud sacerdotem inferiorem iterare.

R. N. seq., cujus prob. Dist. Potest confessionem iterare eo modo, ac si nunquam fuisset facta *N.* tanquam ante jam peractam apud sacerdotem superiorem, qui solus potestatem a casu reservato absolvendi habet *C.* Quod si etiam sacerdos inferior posset mutare materiam, in quam superior votum reservatum commutavit, ut Suaresius contra Navarrum contendit, hoc tamen nihilominus discriminis interest, quod commutando votum superior non imponat præceptum pœnitenti.

239. *Dico II.* Nullo Christi præcepto satisfactionis præstationem absolutioni sacerdotis præmittere jubemur.

Prob. I. Xystus IV. anno 1478. hanc Petri Uxamensis propositionem damnavit: *Quod non sint absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia ipsis injuncta*: et ALEXANDER VIII. istam: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi*

lex et præscriptio, natura rei idipsum aliquo modo dictante. Quam eandem S. Facultas Parisiensis anno 1644. die 28. Julii damnavit ut temerariam et hæreticam.

Prob. II. In antiqua Ecclesia non tantum publice pœnitentes, si ante expletam pœnitentiam in mortis discrimen incidebant, sed etiam alii graves peccatores, qui in peccato perseverantes pœnitentiam agere differebant, in eodem vitæ periculo solvebantur, modo constiterit, ipsos sacerdotem, cui confiterentur, desiderasse, ut sæpius supra ostendimus.

Prob. III. Ecclesia latina jam a sex seculis, et græca jam a duodecim seculis, servare desiit morem pœnitentes non absolvendi, nisi perfecta pœnitentia, ut data opera ex Græcorum Ritualibus Joan. Morinus demonstrat L. 6. c. 24.: atqui Ecclesiam in administratione sacramenti alicujus tanto tempore errasse, dici non potest sine enormi temeritate et errore manifesto; nam *quicumque aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, et observat de sacramento confessionis et reliquis Ecclesiasticis sacramentis, vinculo perpetui anathematis innodantur.* c. *Ad abolendam*, de Hæret. Et B. AUGUSTINUS epist. 118. ad Januarium (al. epist. 54. c. 5.) ait: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia... quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insanie est.*

Prob. IV. Totum fundamentum Jansenianorum satisfactionis executionem absolutioni præmittendam esse contententium est, quia peccata ministerio sacerdotis non tolluntur, sed ante expiata, et divinitus jam donata tantum declarantur: atqui doctrina ista falsa est, et proscripita a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 6. et can. 9.; ergo.

Prob. V. Si injunctæ satisfactionis executio ex lege Christi tam necessario præmittenda sit absolutioni, ut hæc non sit valida, nisi satisfactio prius completa fuerit; ergo impossibilis erit usus sacramenti Pœnitentiæ hominibus innumeris, qui mortem obeunt, antequam satisfactionem absolvere possint, et consequenter vel neganda his esset absolutio, vel absoluti etiam damnarentur, quod a christiana pietate abhorreret veteris Ecclesiæ Patres et Concilia tradiderunt.

Prob. VI. Ut satisfactio reatum pœnæ tollat, ablatam præsumit culpam: sed ante absolutionem sæpe non est ablata culpa; nisi velis, semper illi debere præmitti contritionis perfectæ actum, quod falsum esse demonstravimus supra cap. 3. art. 3.

Quare merito censura S. Facultatis Parisiensis notatus fuit anno 1644. Theophilus Brachet, qui erroneam illam opinionem in libro, *Verax pacificus* inscripto, propugnaverat. Et a Clemente XI. anno 1713. die 8. Septembr. in constitutione *Unigenitus*, inter centum et unam propositiones Quesnelli octogesima septima hoc eodem errore laborans, est proscripita. Hiscæ prævit insignis apostata M. Antonius de Dominis, Spalatensis quondam Archiepiscopus, in libro de Repub. Christiana c. 7. n. 57., sed et hujus libri una cum defuncti cadavere a carnifice Romæ exusti sunt anno 1634.

240. *Obj.* Absolutio, secundum Patrum doctrinam, merces est et fructus laboriosæ satisfactionis; ergo absolutio satisfactionem sequi debet.

R. D. Ant. Absolutio a pœna temporali merces est et fructus laboriosæ satisfactionis *C.* absolutio a culpa et pœna æterna *N.* De hac absolutione

scribit Apostolus Rom. 3. v. 24. : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

Inst. 1. Ex disciplina primævæ Ecclesiæ constat, ante expletam satisfactionem non fuisse datam absolutionem sacramentalem; nam INNOCENTIUS I. in epist. ad Decentium cap. 7. (Lab. t. 2. p. 1247. D.) scribit, tunc debere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. LEO M. epist. 82. (al. 108.) ad Theodorum ait, eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittendos esse; ergo.

R. N. Cons. Quamvis Ecclesia eo tempore, quo vigeat pœnitentia publica, ordinarie absolutionem peccatoribus gravibus distulerit usque ad tempus expletæ satisfactionis; nunquam tamen judicavit, satisfactionem istam ex necessitate sacramenti præcedere absolutionem debere; nam præter insinuatum nuper mortis articulum, datam fuisse absolutionem nondum præstita satisfactione pluribus casibus nos monumenta veterum docent, ac 1º. quidem, cum periculum erat, ne propter dilatam absolutionem pœnitentes ad hæreticos vel schismaticos deficerent. Ita Cyprianus epist. 52. ad Antonianum. 2º. Instante tyrannorum persecutione, idem S. Cyprianus epist. 54. ad Cornelium, de pace lapsis danda. 3º. Cum spes erat, hac indulgentia vel plures ad Ecclesiæ gremium reversuros, vel extinguendum schisma esse. Ita S. Cornelius Papa epist. inter Cyprianicas 46. et ipse Cyprianus epist. 19. ad Caldonium. 4º. Ad commendatitias Confessorum, Cyprianus epist. 16. 5º. Cum pœnitens egregia signa vehementis doloris demonstrabat. Ita S. Gregorius Nyssenus epist. canon. (opp. t. 1. p. 1946.) et Concilium Ancyranum can. 5. Tom. 1. Conc. pag. 1458.

Inst. 2. Ecclesia tribus prioribus seculis peccatores, qui post vitam potissime in vitis transactam sacramentum absolutionis in mortis articulo poscebant, ad illud non admisit; ergo probabilis intelligimus, morem istum ab Apostolis et a Christo ipso profectum esse. *Antecedens* patet ex S. Cypriani epist. 52. ad Antonianum, ex Concilii Arelatensis I. can. 22. (Lab. t. 1. p. 1429. C.), ex Innocentii I. epist. 1. ad Decentium c. 7. (Lab. t. 2. p. 1247. D.) et Leonis M. epist. 91. al. 108.

R. N. Ant. Ad cuius probationem

R. 1º. S. Cyprianus cum cæteris Africæ Episcopis statuit, ut lapsi in idolatriam non reciperentur ad absolutionis sacramentum in articulo mortis, si illud usque eo petere distulissent, eo quod sera ista pœnitentia non sincera videatur; non autem quod absolutionem, quæ ante satisfactionem perfectam conferretur, invalidam esse censeret; nam sub finem libri contra Demetrianum scribit c. 25. pœnitentiam, ne sub ipso quidem vitæ temporalis exitu et occasu seram esse: veniam confitenti dari, et ad immortalitatem sub ipsa morte transiri.

R. 2º. De eisdem apostatis loquitur Concilium Arelatense, aitque eisdem S. Eucharistiam, non autem absolutionem sacramentalem negari. Quod confirmatur a Concilio Nicæno I. paucis post Arelatense annis celebrato, canone 13. (Lab. t. 2. p. 35. B.) ubi, *de his*, inquit, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut, si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessariis viatico minime privetur.* Viaticum istud appellat absolutionem sacramentalem; nam canone eodem Eucharistiæ communionem arbitrio Episcopi committit.

R. 3º. Eadem adhuc clarius testatur Innocentius epist. cit. et epist. 3. ad Exuperium c. 2. (Lab. t. 2. p. 1255. C. D.) *De iis*, inquit, *qui tota vita incontinentiæ dediti, sub finem vitæ reconciliationem poscunt, observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio est; nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem dare abeuntibus placuit... Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur.*

R. 4º. Neque Leo M. dum loco cit. ait, sacerdotibus a Christo potestatem commissam fuisse, *pœnitentibus satisfactionem injungendi, eaque purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittendi*, ullo modo asserit satisfactionem ex necessitate absoluta præmittendam esse reconciliationi sacramentali: nam ibidem addit, urgente periculo mortis, non esse negandam reconciliationem; *Quia*, inquit, *misericiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire.*

Inst. 3. S. Augustinus serm. 57. de temp. (al. 255. in app.) scribit: *Parum est, peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit*; ergo veteres videntur dubitasse de veritate absolutionis datæ moribundo, qui pœnitentiam eo distulit.

R. D. Cons. Videntur de talis absolutionis veritate dubitasse ex eo capite, quod executio satisfactionis præmissa non fuerit *N.* ideo dubitarunt de veritate talis absolutionis, quod pœnitentia sera raro vera sit *C.* *Datur quidem*, prosequitur idem S. Doctor, *etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari, sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi... Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.* Sermone autem 66. (al. 254. in app.) *Pœnitentia, quamvis sit exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud Judicem justum Deum, qui cordis secreta considerat, etc.*

ARTICULUS VI.

DE EFFICACIA SATISFACTIONIS SACRAMENTALIS.

241. *Nota.* Cum Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. dicat, confessionem, contritionem et satisfactionem esse partes sacramenti, *quatenus ad plenam perfectamque remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur*; effectus etiam aliquis gratiæ ex opere operato satisfactioni sacramentali est adscribendus, eo quod actio ista aliquo modo procedat a potestate solvendi et remittendi peccata, sacerdoti per confessionem subjecta, et ideo Christi merita et satisfactio specialiter per hanc partem applicentur: neque pars ulla sacramenti sit, quæ non operetur, quod peculiari modo significat.

Quamquam autem certum sit, a pœnitentiæ sacramento effectum gratiæ duplicem præstari, quorum altero remittitur culpa, altero pœna æterna, et aliquid etiam temporalis pœnæ relaxatur; negarunt tamen quondam non pauci, gratiam gratum facientem conferri ex opere operato satisfactionis,